

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Pvb. Virgilii Maronis Bvcolicorvm Eclogæ X, Georgicorvm  
Libri IIII, Æneidos Libri XII**

**Vergilius Maro, Publius**

**Genevæ, M.DC.XXXVI.**

Publii Virgilii Maronis vita

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-548](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-548)



# PUBLII VIRGILII MARONIS VITA.

**V**BLIVS Virgilius Maro Mantuanus parētibus modicis fuit, ac præcipue patre: quem quidam opificem figulum: plures, Magi cuiusdam viatoris initio mercenariū, mox ob industriam generū tradiderunt, egregieque substantiæ, syluis coëmendis & apibus curādis auxisse reculam. Natus est Cn. Pompeio Magno, & M. Licinio Crasso primū Coss. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur & abest à Mantua non procul. Prægnans mater somniauit enixam se laureum ramum, quem contracta terra coaluisse, & excreuisse illico in specie maturæ arboris resertæque variis pomis & floribus: ac sequenti luce cū marito rus propinquum petens ex itinere diuertit, atque in subiecta fossa partu leuata est. Ferunt infantem vt sit editus, neque euagisse: & adeo miti vultu fuisse, vt haud dubiam spem prospperioris genituræ iam tum daret. Et accessit aliud præsigium. Si quidem virga populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita breui eualuit tempore, vt multo antè satas populos adæquauisset: quæ arbor Virgilij ex eo dicta, atque etiā consecrata est summa grauidarum ac fetiarum religione, & suscipientium ibi & soluentium vota. Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam xvi. anno natali suo accepit, Iisdem illis consulibus iterum quibus erat natus. Euenitque vt eo ipso die Lucretius poeta decederet. Sed Virgilius à Cremona Mediolanum, & inde paulo post transit in Vrbem. Corpore & statura fuit grandis, aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia: nam plerunque à stomacho & à faucibus ac dolore capitum laborabat: sanguinem etiam s̄epe reiecit: cibi, vinique minimi. Libidinis in pueros pronior, quorum maximè dilexit Cebetem & Alexandrum: quem secunda Bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Polione: utrumque non ineruditum, Cebetem verd & poetam. Vulgatum est consuesse cum

## VIRGILII VITA.

cū Plotia Aleria. Sed Asconius Pedianus affirmat ipsam postea maiorem natu narrare solitam inuitatam quidē à Vario ad communionem sui, verū pertinacissimē recusasse. Cætera sanè vitæ & ore & animo tam probū constat, vt Neapolī parthenias vulgō appellatus sit. Ac, si quando Romæ (quò rarissimē commebat) viseretur, in publico se stantes, demonstrantēsq; se, suffugere solitum in proximū tectum. Bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere. Possegit prope cœties seftertiū ex liberalitatibus amicorum. Habuitq; domum Exquiliis iuxta hortos Mecœnatis, quanquam secessu Campaniæ Siciliæq; plurimum vteretur. Parentes iam grandis amisit: ex quibus patrem captum oculis, & duos fratres germanos, Silonē impuberem, Flaccum iam adulterum, cuius exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cetera studia medicinę quoque, ac maximē mathematicę operam dedit. Egit & causam apud iūdices vnam omnino, nec amplius quām semel. Nam & in sermone tardissimum ac penè indocto similem fuisse Melissus tradidit. Poeticam puer adhuc auspicatus in Balistam ludi magistrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit,

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:  
Nocte die tutum carpe viator iter.*

Deinde Catalepton, & Priapia, & Epigrammata, & Diras, Item Cirim & Culicem cum esset annorum xvi. cuius materia talis est: Pastor fatigatus æstu, cum sub arbore condormisset, & serpens ad eum proriperet, è palude culex prouolauit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem attruit, & serpentem interemit: ac sepulchrum culici statuit, & distichon fecit,

*Parue culex, pecudum custos, tibi tale merenti  
Funeris officium vitæ pro munere reddit.*

Scripsit etiam (de qua ambigitur) Aetnam. Et mox cùm res Romanas inchoasset, offensus materia, ad Bucolicam transit: maximē vt Afinium Pollionem, Alphenum Varium, & Corneilium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis triumvirorum iussu trans Padum diuidebantur, indemnem se præstitissent. Deinde Georgica in honorem Mecœnatis qui sibi mediocriter adhuc noto opem tulisset aduersus cuiusdam veterani violentiam: à quo in altercatione litis paulum afuit quin occideretur. Nonissimē autem Aeneidem inchoauit. argumentum varium ac multiplex,

## VIRGILII VITA.

multiplex, & quasi amborū Homeri carminum instar: Præterea nominibus ac rebus Græcis, Latinisque cōmune, & in quo, quod maximè studebat, Romanæ simul vrbis & Augusti origo contineretur. Cū Georgica scribebat, traditur cotidie meditatos manū plurimos versus dictare solitus, ac per totū diem retractando ad paucissimos redigere: non absurdè carmē se more vrsæ patere dicens, & lambendo demū effingere. Æneida prosa prius oratione formatā, digestamq; in XII. libros particulatim componere instituit, prout liberet quidque, & nihil in ordinē accipiens, vt ne quid impetum moraretur, quædā imperfecta transmisit: alia leuissimis verbis veluti fūlūt, quæ per iocum pro tibicinibus interponi à se aiebat ad sustinendū opus, donec solidæ columnæ aduenirent. Bucolica triennio, Georgica vii. Æneida xi. perfecit annis. Bucolica eo successu edidit vt in scenam quoque per cantores crebro pronunciarētur: Georgica, reuerso post Actiacam victoriam Augusto, atque reficiendarū faucium causa. Atellæ cōmoranti, per continuum quatriduum legit suscipiente Mecœnare legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronuntiabat autē maxima cum suavitate, cū lenociniis miris, vt Seneca tradidit Iulium Montanum poētam solitum dicere inuolaturū se Virgilio, si & vocem posset, & os, & hypocrisim, eosdem enim versūs, ipso pronūtiante, bene sonare: fine illo, inanes esse mutosque. Æneidos vix dum cœptæ tanta extitit fama, vt Sextus Propertius nō dubitauerit sic prædicare,

*Cedite Romani scriptores, cedite Graij:*

*Nescio quid maius nascitur Iliade.*

Augustus verò cum iam forte expeditione Cantabrica abesset: & supplicibus atque etiam minacibus per iocum literis efflagitaret vt sibi de Æneide, vt ipsius verba sunt, vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret: Cui tamen multo post perfectaque demum materia tres omnino libros recitauit, secundum, quartum, sextum. Sed hunc notabili Octauiae adfectione: quæ cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defecisse fertur: atque ægrè focillata est. Recitauit & pluribus: sed neque frequenter, & ea ferè de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur. Erotēm librarium & libertum eius exactæ iam senectutis tradunt referre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complesse ex tempore. Nam cùm hactenus haberet: Misenum Æolidem, adiecisse, quo non præstantior alter.

## VIRGILI VITA

Item huic, Ærc ciere viros : simili calore iactatum subiunxisse,  
Martemque accendere cantu: statimq; sibi imperasse vt vtrum  
que volumini adscriberet. Anno ætatis quinquagesimo secun-  
do impositurus Æncidi summam manum statuit in Græciam  
& in Asiam secedere: triennioq; continuo nihil amplius quam  
emendare, vt reliqua vita tantum philosophie vacaret. Sed cum  
ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam  
reverteti, destinaretq; non absistere atque etiam una redire, dū  
Megara vicinum oppidū feruentissimo sole cognoscit, lagorem  
nactus est, eumq; non intermissa nauigatione duxit, ita vt gra-  
uior aliquanto Brundisium appelleret : ubi dichus paucis obiit  
decimo Cal. Octobris, Gn. Scitio, Qu. Lucretio cosl. Ossa eius  
Neapolim translata sunt, tumuloque condita, qui est via Puteo-  
lana intra lapidem secundum: In quo distichon fecit tale:

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc

Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem  
ex alio patre: ex quarta Augustum: ex duodecima Meccenatem:  
ex reliqua L. Varium, & Plocium Tuccam: qui cius Ænidem  
post obitum, iussu Cæsaris emendauerunt : qua de re Sulpitij  
Carthaginensis extant huiusmodi versus,

Inserat hec rapidis aboleri carmina flammis

Virgilius: Phrygium que cecinere ducem.

Tucca vetat Varusq; simul: tu maxime Cæsar

Non sinis: & Latia consulis historiae.

Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,

Et penè est alio Troia cremata rogo.

Egerat cum Vario prius quā Italia decederet, vt si quid sibi acci-  
disset Æneida combureret, & is facturū se pernegrat. Igitur in  
extrema valetudine assidue scrinia desiderauit crematurus ipse:  
Verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit,  
cæterum eisdem Vario ac simul Tuccæ scripta sua sub ea cōdi-  
tione legauit, ne quid ederent quod non à se editū esset. Edidit  
autem Auctore Augusto Varius: sed summatim emēdata: vt qui  
versus etiā imperfectos, si qui erant, reliquerit: quos multi mox  
supplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem; quod  
omnia ferè apud eum hemistichia absoluto perfectoq; sint sen-  
su præter illud, Quem tibi iam Troia. Nifus gramicus audisse se  
à senioribus aiebat Varium duorum librorum ordinē commu-  
tasse: & qui nunc secundus sit, in tertium locū transtulisse: etiam  
primi libri correxisse principium his versibus demptis.

Illæ ego

## VIRGILII VITA

Ille ego qui sylvas gracili modulatus auena  
Carmina: & egressus sylvis vicina coegi,  
Ut quanuis anido parerent arua colono,  
Gratum opus agricolis: At nunc horrenia Martis  
Arma virumque cano.

Obrectatores Virgilio nunquam defuerunt. nec mirum, nam  
nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam  
rescripsit Anti-bucolica: duas modò eclogas sed insulsissimò  
ταρπωνίας, quarum prioris initium est,

Tityre si toga calda tibi est: quo tegmine fagi? Sequentis,

Dic mihi Dameta cuium pecus? anne Latinum?

Non, verum Ægonis nostri sic rure loquuntur:

Alius recitante eo ex Georgicis, Nudus ara, sere nudus: subiecit,  
habebis frigora, febrem.

Est & aduersus Æneida liber Carbili pectoris, titulo Æneio-  
mastix. M. Vipranius à Meccenate cum suppositum appellabat  
nouæ καρβηλίας repertorem: non tumidae, neque exilis, sed ex  
communibus verbis atque ideo latentis. Herennius tantum vi-  
tia eius, Perellitus Faustinus fulta contraxit. Sed & Qu. Octavi  
Auiti οὐγιοτελέστερον octo volumina, quos vnde versus transtulerit  
continent. Asconius Pedianus libro quem contra obrectatores  
Virgilij scripsit pauca admodum obiecta ei proponit, eaq; circa  
historiam ferè, & quod pleraq; ab Homero sumpsisset. Sed hoc  
ipsum crimen sic defendere assuetum ait, Cur non illi quoque  
eadem fulta tentarent. Verum intellecturos facilius esse Her-  
culi clauam, quam Homero versum subripere: & tamē delin-  
se secedere, vt omnia ad satietatem maleuolorum decideret.

NUNC quoniam de auctore summatis diximus, de ipso car-  
mene iam dicendum est. quod bifariam tractari solet, id est ante  
opus, & in ipso opere. Ante opus, titulus, caussa, intentio. Titu-  
lus in quo queritur quid sit. Caussa, vnde ortum sit: & quare hoc  
potissimum sibi ad scribendum poeta præsumpsit. Intentio,  
in qua cognoscitur quid efficere conetur poeta. In ipso opere  
sane tria spectantur: Numerus, ordo, explanatio. Quamvis igit  
tur multa φάσματα, id est falsa inscriptione sub alieno no-  
mine sint prolata, vt Thyestes tragœdia huius poetæ, quam Va-  
rius edidit suo nomine, alia huiusmodi, tamen Bucolica liqui-  
dò Virgilij esse minime dubitandum est: præsertim cum ipse  
poeta tanquam hoc metuens, principio huius operis, & in alio  
carmine suum esse testatur sic dicendo: Carmina qui lusi pasto-

## VIRGILII VITA.

rum, audáxque iuuenta, Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi. Bucolica auté & dici & rectè dici vel hoc indicio probasse suffecerat: quod eodem nomine apud Theocritum censeantur. Verum ratio quoque monstranda est. Tria genera pastorū sunt, quæ dignitatem in Bucolicis habent: quorum minimi sunt qui ἄπολοι dicuntur à Græcis, à nobis caprarij. Paulo honoratores μηλονόμοι ποιμῆρες, id est opiliones dicuntur: honoratissimi & maximi βυκόλοι, quos bubulcos dicimus. Vnde igitur magis decuit pastorali carmini nomen imponi, nisi ab eo gradu qui fecerat apud pastores excellētissimus inuenitur? Caussa dupliciter inspici solet: ab origine carminis, & à voluntate scribentis. Originē autem Bucolici carminis alij ob aliam caussam ferunt. Sunt enim qui etiam à Lacedæmoniis pastoribus Dianæ primum carmen hoc redditū dicant: cum eidem deae propter bellum, quod toti Græciæ illo tépore Persæ inferebant, exhiberi per virgines de more non posset. Alij ab Oreste circa Siciliam vago id genus carminis Dianæ redditū loquuntur, & redditum per ipsum atque pastores; quo tempore de Scythia Taurica cum sorore profugerat subrepto numinis simulacro, & celato in fasce lignorum. Vnde Fascelinam Dianā perhibent nuncupatā: apud cuius aras Orestes per sacerdotem eiusdem numinis Iphigeniam sororē suam à parricidio fuerat expiatus. Alij Apollini Nomio, pastorali scilicet deo: qua tempestate Admeto boues pauerat. Alij Libero Nymphaeum & Satyrorum, & id genus numinū principi, quibus placet rusticum carmen. Alij Mercurio Daphnidis patri pastorū omniū principi, & apud Theocritum, & apud hunc ipsum Poëtam. Alij in honorem Panos scribi putant peculiariter pastoralis dei: & item Sileni, Syluani, atque Faunorum. Quæ cum omnia dicantur, illud erit probabilissimum, Bucolicum carmen originem ducere à priscis téporibus: quibus vita pastoralis exercitata erat: & ideo velut aurei seculi speciem in huiusmodi personarū simplicitate cognosci. Et meritò Virgilium processurum ad alia carmina, non aliunde cœpisse, nisi ab ea vita, quæ prima in terris fuit. Nam postea rura culta: & ad postremum pro cultis & feracibus terris bella suscepta: quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse mōstrarare, cum pastores primò, deinde agricultores canit: & ad ultimum bellatores. Restat ut quæ eaussa voluntatem attulerit Poëta Bucolica potissimum conscribendi, considerare. Aut enim dulcedine carminis Theocriti, & ad imitationem eius illectus est: aut ordinem temporum

fecutus

## VIRGILII VITA.

secutus est circa vitam humanam: quod supra diximus. Aut cum tres modi sint elocutionum: quos *χαρακτήρες* Græci vocat, i.e. qui tenuis: *μέσος* qui moderatus: *άδειος*, qui validus intelligitur, credibile erit Virgilium qui in omni genere præualeret, Bucolica ad primū, Georgica ad secundum, & encidem ad tertium voluisse conferre. An ideo potius primò Bucolica scriptis, ut in eiusmodi poemate quod magis varium & paulò liberius quam cetera, facultatē haberet captandæ Cæsaris indulgentiæ, repetendiq; agri quem amiserat, ob hanc caussam. Occiso in Curia die tertio Iduum Martiarum, C. Cæsare, cum Augustū Cæsarem penè puerum sibi veterani non abnuente Senatu ducem constituerent: exorto civili bello Cremonenses cum ceteris eiusdem studij, aduersarios Augusti Cæsaris adiuuerunt. Vnde factum est, ut cū viator Augustus in eorum agros, veterans deduci iussisset: non sufficiente agro Cremonensium, Mantuani quoque, in quibus erat etiā Virgilius, maximam partem finium suorum perdidissent, eo quod vicini Cremonensis fuerant. Sed Virgilius merito carminum fretus, & amicitia quorundam potentium, Centurioni Arrio cùm obfistere ausus esset, ille statim, ut miles, ad gladium manū admouit. Cumq; se in fugam proripuisset Poeta, non prius finis persequendi fuit, quam se in fluuium Virgilius coniecesset, atque in alteram ripam enatauisset. Sed posteā per Mæcenatem & per Triumuiros agris diuidūdis Varium & Pollionem, & Cornelium Gallum, fama carminum commendatus Augusto, & agros recepit, & deinceps Imperatoris familiari amore perfruitus est. Intentio libri quam *οὐρανὸς* Græci vocant, in imitatione Theocriti poetæ constituitur: qui Siculus ac Syracusanus fuit. Et est intentio etiam in laude Cæsaris, & principum ceterorum: per quos in sedes suas atque agros rediit. Vnde effectus finesq; carminis & delectationem & utilitatem secundum præcepta perfecit. Quæri solet cur non ultra quam decem Eclogas conscripserit: quod nequaquam mirandum videbitur ei qui considerauerit varietatem scenarum pastoralium, ultra hunc numerum non potuisse proferri: præsertim cum ipse poeta circumspectior Theocrito, ut ipsa res indicat, videatur metuere ne illa Ecloga quæ Pollioni inscribitur, minus rustica iudicetur: cum id ipsum præstruit, dicens: Sicelides Musæ paulò maiora canamus: & item similiter in aliis duabus facit. Illud tendendum esse prædicimus in Bucolicis Virgilij, neque nusquam, neque ubique figuratè aliquid dici: hoc est per allegoriam. Vix enim propter laudē Cæsaris & amissos agros hæc Virgilio con-

## VIRGILI VITA.

ceduntur: cum Theocritus simpliciter conscripsit, quem hic noster conatur imitari. Sequitur id quod in ipso carmine tractari solet: est numerus, ordo, explanatio. Numerus Eclogarum manifestus est, nam deceim sunt, ex quibus propriè bucolicæ VII. esse creduntur: quod ex his excipiantur, Pollio, Silenus & Gallus. Prima igitur continet conquestionem publicam, priuatam gratulationem de agro, & dicitur Tityrus. Secunda, amore pueri: & dicitur Alexis. Tertia, certamen pastorum: & dicitur Palemon. Quarta, genethliacum: & dicitur Pollio. Quinta, epiphium: & dicitur Daphnis. Sexta, Metamorphosim: & dicitur Varius vel Silenus. Septima delectationem pastorum: & dicitur Corydon. Octaua, mores diuersorum sexuum: & dicitur Damon vel Pharmaceutria. Nona propriam poetæ conquestionem de amissō agro: & dicitur Mœris. Decima, defyderium Galli circa Polymniam Cytheridem, & dicitur Gallus.

Quod ad ordinem spectat, illud scire debemus in prima tantum & ultima Ecloga poetam voluisse ordinē referuare: quādo in altera principium constituerit, ut in Georgicis ait, Tityre tu patulæ cecini sub tegmine fagi: In altera ostenderit finē: quippe cum dicat, Extremū hunc Arethusa mihi concede laborem. Verum inter ipsas Eclogas naturalē consertūmq; ordinem nullum esse certissimū est. Etsi sunt qui dicant initium Bucolici carminis non Tityre esse: sed, Prima Syracusio dignata est ludere versu. Superest explanatio quā in ordinē digeremus cum prædixerimus, illud in primis tenendū esse, Bucolicum poema usq; adeo ab heroico charactere distare, ut versus quoque huius carminis suas quasdā cæsuras habeant, & suis legibus distinguantur. Nam cum tribus his probetur metrū, cæsura, scansione, ædificatione: nō erit Bucolicus versus nisi in quo & primus pes partē orationis absoluerit, & tertius trocheus fuerit, & quartus pes dactylus magis quā spondeus partem orationis terminauerit, quintus & sextus pes cū integris dictiōnibus fuerint à Theocrito sēpe seruati, quod tamen Virgilius vix operis difficultate neglexit: in solo principio incertum industria siue casu Bucolico versu posito. Nam Tityre, dactylus pes partē orationis absoluit: Tityre tu patulæ recubans, tertium trochæum circa præpositionē, quāvis de comp̄ sita dictiōne conclusit: Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi, quartum spondeum pro dactylo. cum partem orationis exhibuit, tegmine fagi, integrum comma perfecit. Cuius rei diligentia licet in Theocriti multis versibus admirari.

PVB.